

in tutum receperunt : triremis una impacta littori falvis hominibus interiit. Coronem post hæc cum magna exercitus parte unus ex ducibus ab rege missus oppidanis proposuit, si se, antequam oppidum obsidione cingeretur, regi dederent, fore ut bonis conditionibus uti possent : sin vim expectarent, omnes ad unum interituros. quibus intellectis rebus Coronæ casu Methonenfium perterriti, spretis præfectorum imperiis, qui se ad propugnationem comparaverant, æquissimis conditionibus ducem intromiserunt. Rex deinde Naupliam eadem qua Coronem celeritate suo se imperio adjecturum existimans, exercitus partem in Naupliorum fines induxit : missoque ad oppidum cum suis equitibus Paulo Contareno cive Veneto egregia virtute, Bernardi Contareni, ejus qui bello Neapolitano Epirotarum equitum præfectus mortem obiebat, fratre, qui Corone uxorem duxerat, illisque in regionibus erat notissimus, quemque rex, ut ad id uteretur, Corone in deditionem recepta habere secum voluerat : jussit illum oppidanis suadere ut se regi dederent. Is medio in sermone, quem cum Naupliis, ad urbis muros atque portam vocatis, ingressus fuerat, equo incitato equitibus imprudentibus se subripuit, atque in oppidum, vallo saltu equi superato, est receptus. Oppidani primo cum Pauli hortatu ac studio, tum per se se plane paratissimi, magno animo impetum hostium sustinuerunt : egressique præterea per occasiones prælia nonnulla secundiora fecerunt. postea vero quam rex cum reliquo exercitu eo venit, portas clausurunt, & munierunt : itaque inclusi magna se virtute atque constantia tuebantur. Interim ex classe Thracia, quam rex Naupacto, ut terrorem hostibus incuteret, Naupliam veterem convenire universam voluerat, naves triginta Aeginam ad insulam missæ oppidum capiunt : relictisque regio nomine qui præessent, Naupliam revertuntur.

1500

*Coronenses
Turcas se dedunt.*

Nauplia oppugnatione.

*Aegina a
Turcis capitur.*

Hæc dum sic administrarentur, Benedictus Pisaurus Coryram, deinde Zacynthum profectus, dies ibi aliquot, antequam classis, quæ propter tempestatem aberraverat, eo conveniret, se continuit. Coacta classe navium longarum majorum duodeviginti, minorum viginti quinque, onerariarum